

montanum positis audiret uulgus aratri.  
 Quid non proclames, in corpore iudicis ista 75  
 si uideas? Quaero an deceant multicia testem.  
 Acer et indomitus libertatisque magister,  
 Cretice, perluces. Dedit hanc contagio labem  
 et dabit in plures, sicut grex totus in agris  
 unius scabie cadit et porrigine porci 80  
 uuaque conspecta liuorem ducit ab uua.  
 Foedius hoc aliquid quandoque audebis amictu;  
 nemo repente fuit turpissimus. Accipient te  
 paulatim qui longa domi redimicula sumunt  
 frontibus et toto posuere monilia collo 85  
 atque bonam tenerae placant abdomine porcae  
 et magno cratere deam; sed more sinistro  
 exagitata procul non intrat femina limen :  
 solis ara deae maribus patet. « Ite, profanae »  
 clamatur, « nullo gemit hic tibicina cornu. » 90  
 Talia secreta coluerunt orgia taeda  
 Cecropiam soliti Baptae lassare Cotyton.  
 Ille supercilium madida fuligine tinctum  
 obliqua producit acu pingitque trementis 95  
 attollens oculos; uitreo bibit ille priapo  
 reticulumque comis auratum ingentibus implet,  
 caerulea indutus scutulata aut galbina rasa  
 et per Iunonem domini iurante ministro;  
 ille tenet speculum, pathici gestamen Othonis,  
 Actoris Aurunci spolium, quo se ille uidebat 100  
 armatum, cum iam tolli uexilla iuberet;